

A.

.

16

年

刊

一

Found:

Litane Constratae

R.M.K. 128.

A.R. Madonna M. G. C. C. C.

Constrata (W.L. Minutaria W.L.)

Jan 25/18

R.M.T. 128

L I T E R A E

conuocatorię, vna cum

PROPOSITIONIBVS, IN SYNO-
DO VASARHELLYINA DIS-
putandis, ad diem XX. Mensis
SEPTEMBRIS. huius
Anni M. D. LXXI.



A

PASTORIBVS ET MINISTRIS
Ecclesiarum in Transsylvania, qui in cognitione
doctrinæ vnius veri & altissimi Dei Israëlis,
Patris Domini nostri Iesu Christi &c.
consentiunt.



Claudiopoli.

Excudebat Caspar Heltus. Anno 1.5.71.

Museum

2
SPIRITVM CONSOLATIONIS
& spei, à Deo Patre, in agnitione Chri-
sti, omnibus vobis, Christi crucifixi
Ministris, precor.



VVM SEMPER ALI-
às, tùm hoc præcipuè tempore
magis, Reuerendî viri, & fratres
in Christo dilecti, ob oculos no-
bis uersari debet Apostolorum
conditio, Qui cùm prohiberentur,
ne in nomine Iesu loquerentur,
conuersi ad orationem, in voca-
tione sua confirmati, non destite-
runt veritatem Domini maiori zelo & fructu propone-
re, quam antea. Plurima sanè sunt mala Ecclesiæ, huma-
nis consilijs inextricabilia, quæ nos ad veram invocatio-
nem, & reliqua pietatis exercitia meritò impellere pote-
rant: At multorum tanta est peruersitas, ut aut de his ni-
hil prorsus cogitent, aut ex his occasiones maledicendi
Deo, & eius sanctæ providentiæ sumant. At nos, qui ma-
num aratro apposuiimus, nominaquè nostra Christo dedi-
mus, longè aliter affecti esse debemus: Neq; enim propter
presentes calamitates & dissidia, ab inquisitione veritatis
diuinæ, & diuini auxiliij expectatione nos absterreri decet,
Verùm in spe & patientia possidere animas nostras, quem-
admodum Christus & Esaias admonent.

Inter reliqua mala, quæ nobis imminere possunt, in-
gens odium & certamen indefessum, quòd ab aduersa par-
te suscipitur pro Deo Trinitario, censeri potest maximū.
Multorum enim turbantur conscientie, & certatur con-
uitijs

uitijs & sarcasms, hominibus Christianis minimè dignis:
Verùm illud nec nouum nec mirandum est. Quampri-
mùm enim hæc nugamenta Essentiæ & Personarum in
quibus omne fundamentum Tritoitarum consistit, in Ec-
clesiam Domini inuecta sunt, à simplicitate doctrine A-
postolicæ discessum est, Diabolus liberam grassandi oc-
casionem habuit, veritatemq; uarijs contentionibus & so-
phismatis inuoluit: Vnde docentes & discentes in uarias
scissi partes, Abominatio Desolationis in templo Domi-
ni erecta, Pij doctores alij interfecti, alij pulsi sunt. Sy-
nodi contra synodos diuersa statuere decreta, Erecta Ty-
rannis Papalis, Et per sanguinem & cædem defensa est fal-
sa doctrina, & Magistratus politicus ad nutum Episco-
porum Philosophicorum vibrauit gladium, Variaq; concilia, in-
ter se pugnata, indicta sunt. Ariminense fecit, p Arrianis,
Ephesinũ secundum fauebat Eutychi: Concilium à Cypr-
ano habitũ decreuit, ut heretici non admitterentur nisi re-
baptizati. Omitto q Chrysostronus aduersus Epiphaniũ
tentauit, Et è conuerso: Quid Cyrillus non mouit contra
Theodoretum, & Ioannem Alexandrinum? Quid Gre-
gorius aduersum Latinos de Spiritus processione? Hæc peni-
tius consideranti, statim occurrit, tunc in Ecclesiam Do-
mini tenebras pro luce inuectas fuisse, Nec in tanta opin-
onum confusione veritatem locum habere potuisse. Cer-
tè nec hoc tempore Scholastici Doctores, & eorum Ai-
seclæ, quàmuis multum gloriantur de Catholicæ fidei uni-
tate, in Dei Tripersonati defensione, per omnia ad eun-
dem collimant scopum.

Tristissima hæc desolatio Ecclesiæ Dei, secundũ va-
ticia Esaiæ, Danielis, & Ioannis in Apocalypsi, dura-
re debuit, usq; ad annos 1260, quod numero dierum no-
tatur in Apocalypsi. quos si supputaueris à temporibus
Constantini & Syluestri Pape, usq; ad hæc nostra tempo-
ra, Numerum completum habebis. Iusto enim Dei iudi-
cio, prop-

4
cio propter ingratitudinem erga veritatem, mūdus hīc pu-
nitus est, Et captiuitatem hanc populus Domini ferre de-
buit, Vt in prioribus captiuitatibus, Aegyptiaca & Ba-
bylonica, praefiguratum fuit. Hinc igitur manifestum ē,
ex arena sine calce neētere eos funes, qui longi temporis
consuetudinem, & Ecclesie in hoc dogmate receptas opi-
niones obijciunt. Nam, ut in prima creatione tempora te-
nebrarum & lucis fuere: sic & in ipsa Ecclesia: Est enim
tempus puniendi, Est quoq; tempus miserendi.

Deus, ille Pater luminum, nobis inuitis nauem hanc
impulit, ut per vastum mare mundi huius in medijs flu-
ctibus progrediatur, & ad portum tutum pertingat: Et
quis huic resistet? Oportet ut Carmen triumphale aliquā-
do canamus: Cecidit Babylon, cecidit: Lati igitur Du-
cem nostrum per saxa, per ignes sequamur, vocantiq; Deo
obediamus: Et deposito caractere Bestie, scutoq; fidei &
uerbo salutis induti, stemus in acie, & expectemus auxi-
lium Domini.

Hec ad uos, fratres in Christo dilecti, non hoc nomi-
ne scribo, quod uos priores animos deposuisse opiner:
Verum ut vltro currentibus calcar addam, Et pro ratio-
ne officij mei uos comonefaciam: Quod ut meliore uia &
ordine fieri possit, ad 20. Septemb. diem, Vasarhelij uobis
Synodum indico, ex Ecclesie constitutione & autoritate,
per uos mihi hac in parte attributa. Vt aut omnibus tam
consentientibus, quam dissentientibus notum sit, nos persi-
stere in veritate Domini, his conuocatorij s literis, & Propo-
sitiones nostras attexuimus, Quas defendere & ppugnare,
auspice Domino, in eadem Synodo volumus: Omnibusq;
libertatem audiendi & disputandi, quibus cordi ē inqui-
sitiō ueritatis, concedimus. Vt igitur interesse uelit sine
grauatione, admonem, & hortaur. Sūt enim & alia nego-
cia Ecclesie, de quib; inter nos conferre & colloqui necessū
est. Domin; uos oēs Spiritu suo scō regat & cōseruet: ā.
Claudiopoli &c, Francif, Davidis &c, frater uester.

PROPOSITIONES DISPVT-
tandæ in Synodo Vafarhellyina.

I.

VOCABVLA Patris, Filij & Spiritus S. in
sacris literis vsurpata, Trinitatem non con-
stituunt: Trinitas enim, iuxta opinionem aduersæ
partis, trium vna & eadem est diuinitas, Tresq;
numero discreti, vnū & eundem efficiunt Deum

II.

VERBum Dei, Patrem, Deum ex quo om-
nia, esse docet: Christum verò, vnum Domi-
num, per quem omnia: Spiritum sanctum autem,
Patris & Filij Spiritum, Quæ nequaquã; vera esse
possent, si tres ij, Pater, Filius, & Spiritus s. vn^o
Deus esse censerentur, aut eandem habere Diui-
nitatis Essentiam crederentur.

III.

VT autem vocabulum, DEVS, attributum
Patri, alio modo intelligitur, quàm Filio da-
tum: Sic & diuinitatis aliam rationem in Patre,
aliam in Filio esse asserrim^o. Hic enim ab illo ha-
bet, Ille à nullo accepit: quæ omnia iuxtà analo-
giam verbi Dei explicata, nequaquam duos De-
os constituunt.

IIII.

a 3.

Vt autem

6
VT autem Deus Pater suum esse à nullo ha-
bet: sic Filius ab ipso esse dicitur, Non pro-
pter substantiæ illius transfusionem: sed quia il-
lius imago, forma, & character est, Et suam na-
turam Deus creaturis cōmunicare dicitur, Quòd
eas Spiritus sui reddat participes, & motus in il-
lis ad res præclare gerendas excitet: Non quòd
suam transfundat Essentiam.

V.

ALIVS à Patre Filius est, Ille enim Deus, hîc
homo: Ille vngens, hîc vnctus ac factus Chri-
stus & Dominus à Patre: Non quòd ab æterno
fuerit Christus & Dominus, & **D. E. V. S.** Verbum,
seu virtus & potentia Dei.

VI.

VTrosq; igitur scripturæ veritatem inuerte-
re affirmamus, Tum qui Patrem & Filium
vnum eundemq; Deum esse contendunt, Tum
qui à Diuinitate Patris ad diuinitatem Filij ar-
gumentantur: Filiumq; equæ æternum, infinitū,
inuisibilem, & altissimum illum Deum, vt Pa-
trem, esse docent.

VII.

QU E Madmodum autem Essentia & perso-
na, ex vno Deo Patre trinum, contra ana-
logiam fidei, conflauit, & vnum verum Deum
aboleuit:

aboleuit: Ita ex persona & Essentia, Christū De-
um & hominem conflans, Verum Christum ho-
minem abnegauit. Christus enim ab æterno De-
us non est, Sed ex conceptione Spiritus s. natus
homo inungitur, ut sit Christus & Deus.

V.III.

HIC igitur homo Christus, Dei Patris & Ma-
rię Filius, non propter transfusionem alicu-
ius diuinę Essentię Deus est: sed propter spiritū
illi sine mensura datum, Propter dignitatem &
imperium, illi in omnia concessum: & reliqua,
quę Verbum Dei illi data esse affirmat.

IX.

SECVNDUM ergo opinionem aduersariorum,
qua statuunt, Christum à se ipso Deum esse &
ab æterno, Negam⁹ Chrūm Deum esse: Secundū
verò sensū scripture, affirmam⁹ illū Deū dici cen-
serique, Hęc quę aduersarij non admittunt,
Affirmamus eos, nec Christum, nec Filium Dei,
Nec Deum habere, quum illum, qui vnicus est, ab-
negēt, & cōmentitiam illi diuinitatem ascribant.

X.

SP I R I T V S sanctus, nec tertia persona Tri-
nitatis, Nec indiuiduum per se subsistens: Sed
est virtus & donum Dei Patris, Christo plenarie,
electis

electis verò ad mensuram donationis Christi da-
tus, Qui loqui, docere, distribuere, accipere, &
similia facere dicitur in scripturis ; respectu no-
stri, In quibus Deus hæc operari & effi-
cere per Spiritum suum demonstratur.



Θ Ε Λ Ω Σ



Véige